31

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE

FEBRE CATAR-
RHALI MALIGNA,

Quam
FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA,
CONSENSU ET AUTORITATE GRATIOSISSIMÆ FACUL-
TATIS MEDICÆ,
SUB PRÆSIDIO
DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,
DN. PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI OMNI OBSERVANTIÆ
CULTU PROSEQUENDI,
PRO LICENTIA
Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura & Privilegia
DOCTORALIA rite ac legitime capeſſendi,
d. Mart. A. MDCCVIII. horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI
Publicæ Eruditorum Diſquiſitioni ſiſtet
CHRISTIANUS LUDOVICUS FERGEN,
GOTHA-THURINGUS.

HALÆ MAGDEB. LITERIS CHR. HENCKELII, ACAD. TYP.

PROOEMIUM.

QUantumlibet iners & odioſa fuerit, juxta plerorumque mentem, animadverſio, quam hiſtoriæ ferunt *Thaleti Mileſio* à ſervulo ſuo objectam, cum ſiderum inſpectioni totus intentus, foveam ante pedes non proſpexiſſet, adeoque prolapſus in illam fuiſſet: Ubi hunc monuiſſe perhibent, *inutiliter ad cœlum extendi ſpeculationes, ſi rerum ante pedes poſitarum non explorata ſit conditio:* Si tamen monitum hoc ad illas res transferatur, quæ utique connexionem quandam inter ſe invicem habent, non juſtum ſolum eſt, & æquum, ſed inſuperabilis omnino neceſſitatis. Ut enim in numerorum ratione, ſi quid in primis & ſimplicibus ponendis prætermiſſum eſt, quanto longior fit & latior progreſſus, eo major inde reſultat error & confuſio: ita certe in cohærentium rerum ſerie veraci comprehendenda, ſi illa, quæ ante oculos, imo velut ante pedes jacent, prima & ſimplicia rei phænomena & conditiones, non ad animum revocantur, non poteſt aliter fieri, quin in proſecutione totius ſe-

riei, non ſolum hiatus aliquis, ſed certe, ſi totam connexionem ſpectes, nuda confuſio & veritatis amiſſio oriatur. In morborum ſanè rationibus & reſpectibus inveſtigandis, quam neceſſaria ſit illa circumſpectio, ne qua ipſorum factorum, ipſius inquam hiſtoriæ, perverſio, aut neglectus & omiſſio, committatur, facilè intelligent, quicunque compotes fuerint percipiendi, quam facilè circumſtantia aliqua, nudo intuitu quantumcunque levis apparens, facile tamen nexum univerſum & plurium mutuam συζυγίαν, fallere & labefactare poſſit. Jam ſi illa morum ſit perverſio, ut pluribus etiam imo vel potioribus, neglectis; & quidem de conjugatis inter ſe mutuo, & è nexu ſuo non diſſolvendis circumſtantiis, tamen collectiones atquè concluſiones deniquè formentur: Quid inde boni & ſinceri confici poſſit ad exquiſitam ſummam rei, non erit operoſum hariolari. Non quidem rerum Naturæ ut ante oculos jacet, adverſus abuſus in facto, quod cauſidici ajunt, in contradictorio, advocatos nos offerre in animo eſt; cum utique primus actus judicialis, probatio, perſonarum intuitu, ſit res invidioſa; præterea vero omnibus, qui ſine præjudicio aut præoccupatione rem ipſam intelligunt & perpendunt, non opus ſit nomenclatore: Satis erit nobis, potiùs in illud incumbere, ut evitatis his offendiculis, ea ſollicitudine & ſuadeamus tractanda eſſe negotia, & pro virili tractemus, quicquid horum capeſſimus ipſi, ut omninò *ſolerter conquiſitis*, & in ſolido ſuo vero *nexu* quam maximè retentis, tam *rerum* ipſarum, quam *cauſarum*, *hiſtoriis*, planiorem ita progreſſum per ſimplicem veritatis viam perſequi poſſimus. Ante omnia vero & autores ſumus & fautores, abſtinen-

nendi à gratuitis ſuppoſitionibus *ſpeculativis* à priori, & conquiſitionibus *quarundam* circumſtantiarum, de quocunque affectus genere, ad illam tanquam regulam adigendarum. Certi nempè *theorias* ad ipſarum potius *rerum* veritatem & phænomena inſtruendas eſſe & exigendas, & theorias *ſectari* potius debere ipſam rem, quam contra.

Hanc methodum ſervabimus in evolvenda, SPECIMINIS INAUGURALIS loco, vera indole FEBRIUM CATARRHALIUM MALIGNARUM hodie nominatarum. Cujus cœpti ut felix nobis obtingat ſucceſſus & eventus, divinam utique benedictionem humillime invocamus.

I.

CATARRHALIS FEBRIS appellatio, quæ hodie ſæpe & paſſim auditur, ſicuti *antiquis* diſertè ſub hoc nomine notata utique non fuit, ita fuit tamen nihilo minus nota, non ſolum *veriſimiliter*: dum utique ab omni tempore & *Catarrhi* familiares fuerunt, & variæ difficultates ipſis, non minus quam hodieque, evenire potuerunt, quibus *Febres* ejusmodi deinde concurſarent: ſed eximit certe omnem in hoc genere ſcrupulum commemoratio apud illos febris *quotidianæ continuæ*, quam modò *dulci* ſeu *inſipido* phlegmati modò *ſalſo*, modo *putrefacto* attributam, cum variis ejusmodi ſymptomatibus conjunctam recenſent, qualia à *reſtagnationibus catarrhalibus* circa *caput* & *fauces*, conjunctam deſcribunt, quales etiam in hodiè vulgò dictis *Catarrhalibus* ſeſe ſiſtere ſolent.

II.

Ita enim prolixe *Savanarola*, *Arculanus*, quin ipſe *Avicenna*, tum poſt hos *Foreſtus*, cum Febre illa *quotidiana continua*, à *phlegmate ſalſo*, & imprimis ab hujus *acrimonia* extra-

traordinaria, *notha* hujuſmodi Febre, conjungunt cum *inflationem faciei*, *ſitim* exiguam aut nullam, *nauſeam*, *inappetentiam*, *vomitum* pituitoſum, *habitum* corporis *mollem*, *lenem*, non tenſum, *capitis gravitatem* imò *ſtuporem* quin *carum* aut *lethargum*, quem etiam *Rhaſes* huic Febri aliquando evenire notat: A *principio* quoque, & *vomitum* aliquando, & *diarrhœam* quoque eidem aſſignant: ſicuti *Foreſtus* etiam *tuſſiculam* in ſuo ægro conjunctam, & mox ſubito in *gulam* & *linguæ radices* factam *irruptionem*, cum tanta *inflatione*, ut æger illic,o *ſuffocari* videretur, & mox fauces *inflammatæ* comparerent, &c.

III.

Quemadmodum autem reverà memoratus hic *genius*, cum *Catarrhalibus* hodiè dictis, ita conſentit, ut generatim nullum remanere poſſit dubium, quin res una eademque utrinque ſubſit; Ita tamen, ſicuti nec ipſi poſteriores ſibi ita undique conſtant, quid variarum Febrium appellatione ita exquiſite deſignent ut neque plus, neque minus, quam in vera talium indole ſubſit, exactiſſime commemorent; ita nec ab ipſis etiam antiquis hoc idem ita ſimpliciter tanquam ad ſtateram, expectandum eſt: cum imprimis etiam paſſim occurrentes peculiares talium, præcipue in *Febrium* negotio, enarrationum circumſtantiæ, juſtisſimam faciant ſuſpicionem, quod variè etiam inter nudam *hiſtoriam*, & *applicationem* ad hypotheſes, ita vacillent, uti fere in recentiore ſchola eadem ſcena, etiam cum longè majore apparatu, luditur.

IV.

Illud puto nemo in dubium vocaverit, quod, uti veteres *Catarrhos ſtagnationi* aut delapſui *phlegmatis*, jam *ſimplicioris*, *inſipidi*, *dulcis*, jam *ſalſi*, *acris*, imò *ſpiſſi* tenacis, *vitrei*, quin etiam *acidi*, tribuerunt: quos recentiores jam *lymphæ*, jam *ſalivali* humori, jam *ſero*, ex *obſtructione*, aut aliqua *provocatione* ad talia loca, *ſtagnantibus*; *viſcoſitate* etiam, *coagulatione*, *ſalſedine*, *acredine*, differentibus & diverſimode infectis, imputant: Ita, quicquid ultrà talis-

mo-

modi conſtitutioni accedere & ſupervenire dicatur, *Catarrhalis* epitheto, apud utrosque verè communi jure, rectè notari.

V.

Illud autem majore fortè conſideratione dignum haberi mereretur, quod, cum jam ab aliquo multo tempore, non ſine operoſa etiam induſtria, *catarrhi* & *Rhevmatismi* diverſitas, quærenda & conſtituenda viſa ſit; *Rhevmatismis* autem reverà perquam familiariter conſpirare ſoleant *febriles* quædam commotiones: mirum hinc meritò habendum videatur, quî fiat, ut hæc conſtitutio non etiam ſatis digna viſa ſit, cui propria aliqua appellatio, *febris* inquam *Rhevmaticæ* imponeretur? De qua certe, licet recentiores aliqui hic illic mentionem injiciant, nec tamen illa ſatis pro dignitate conſiderari videtur: nec etiam ejus *comparatio* cum *Catarrhali* decenter inſtitui.

VI.

Sicut enim vix quisquam propemodum occurrit, qui de hac re quidquam, tanquam ex inſtituto, proferre ſuſceperit, præter recentiorem *Mortonum*, & ex parte *Sydenhamium*; ita nec exhaurit tamen utervis horum, vel ipſius *Rhevmaticæ Febris* tanquam ſpecialiorem indolem: vel *diverſitatem* ejus quæ ſubeſſe poſſit, imò verò, ſecundum illas hypotheſes de indole vera catarrhorum atque Rhevmatis, in quantum differre memorantur, ſubeſſe omnino deberet.

VII.

Cum autem hac ratione reverà difficillimum eſſet, è muſſitationibus aliquorum ſcriptorum exſculpere, quid vel ipſi dixerint, aut dicere voluerint; vel dicere potuerint, aut debuerint: Præterea circà res in medio poſitas, abſurdum profectò ſit, ſimpliciter potius *aliorum arbitrium*, mancum imprimis atque fugitivum, anxiè ſcrutari: quam è *rerum uti ſunt*, ſolidis *circumſtantiis*, *rationis ſcrutinio* circumſpecto, perveſtiga

ga

gare, quænam ſeries vera *cauſandi* & *fiendi* ſubeſſe videri poſſit: Placet propterea, non tam aliorum *opiniones ſectari*, quàm ab *experientia* ipſa, phænomena rei deſumere; à *ratione* vero nihil præoccupatâ aut obnoxiâ, ſed ſimplicisſimâ quoque, *nexum* horum phænomenων cum Oeconomia *conſervandi* corporis, comparare, & ſecundum hanc normam, non ſolum *concludere*, ſed etiam aliorum diſſidentium opinionum æquationem expectare, imò exigere.

VIII.

Ut itaque ſecundùm hanc normam tractationem noſtram adornemus, aſſeveramus, primo meritò loco, quod omninò *Catarrhales* aut *Rhevmaticæ Febres* dentur. Et quidem reverà tales, quæ hoc nomen ipsâ rei veritate ita mereantur atque tueantur, ut ab aliis, veris & exquiſitis *ſpeciebus* Febrium, re ipſa *diſtinctæ* ſint: illi autem rei, â qua *nomen* habent, reverà ita innexæ ſint, ut nomen hoc ipſis ſummo atque pleno jure competat.

IX.

Hoc ut confirmemus, diſpiciendum antè omnia eſt quo intuitu his Febribus nomen hoc *Catarrhalium* aut *Rhevmaticarum* convenire poſſit. Dicuntur ſine dubio à *Catarrho* aut *Rhevmate*. Nempe, quod vel *à catharro concitentur*; vel *cum* catarrho conſpirent & cohæreant: vel catharrhos fortè aut Rhevmata *ferant* & excitent.

X.

Poſtremo hoc ſenſu, quod nempe *Febres certæ*, Catarrhos demum *ſuſcitent* atque proferant, non ſolum nemo ſuccurrit qui *catarrhalis* febris appellationem uſurpet; ſed neque eſſet omninò hæc etiam opinio vera. Licet enim etiam ab aliis febribus, & ipſis adeò *intermittentibus*, per *ἀποςάσεις* heteroclitas, & imprimis artificiorum perverſorum interventu, *Rhevmaticis* congeſtionibus impoſterum via aliquando ſternatur; tamen, cum neque tales febres, ex ſua *directa indole* hoc faciant; neque, multò minus, peculiaris aliqua detur,

in-

& propria, *ſpecies* febris, quæ hoc ita *ſpecificè* perpetret, ut inde verè *proprium* etiam nomen mereatur: ſed potius merè *per accidens*, & præterea inuſitatis demum ſucceſſibus, *turbationibus*, *erroribus*, tale quid his eveniat: facilè hinc utique eſt colligere, quod ſuper hujusmodi fundamentum, peculiaris *ſpeciei* cenſus, & ſtabilis inſtitutio, minime firmari poſſit.

XI.

Nec vero etiam *à Catarrho*, Febrem *ſimpliciter* atque *directè* concitari, dici poteſt; niſi quatenùs *inſolito* forte hujus progreſſu, *certo reſpectu* illa provocetur. Cum autem præſente loco de hujusmodi *cauſali nexu* verba facere, intempeſtivum omninò foret: poterit propterea ſufficere illud dixiſſe, quod utique *cum catarrhis* ita conſpiret, ea quæ *catarrhalis* dicenda venit febris, ut illis quidem ſæpè *ſuperveniat* & accedat: *ſine illis* autem *non fiat* aut vigeat.

XII.

Quæcunque itaque Febris, ſine *manifeſtis ſignis*, & magis ferè *præcurrentibus* aut ſtatim *conjunctis*, quàm demum *emergentibus*, nedùm *ſubſequentibus*, *Catatrhorum* aut *Rhevmatum*, quibuscunque tandem aliis febrilibus ſymptomatibus, ſeſe ſiſtit aut exerit, illa falſo pro *catarrhali* venditabitur.

XIII.

Sicut autem *Catarrhorum*, generali appellatione ſumptorum, per reſtrictiones propiorum temporum, alii tanquam *ſtricto* jure hoc nomen ſibi vendicare cœperunt; alii verò *Rhevmatis* titulum gerere jubentur: Ita, ut hoc *ſtricto ſenſu* nominati *catarrhi*, imprimis *caput*, *fauces*, *pectus*, & ſecundùm aliquos etiam *ſtomachum* (ipſum quoque ſtrictiore ſenſu, nempe *ſuperius orificium* ventriculi,) ditione ſua complecti jubeantur: *Rhevmate* ad *inferiores*, & imprimis *exteriores* regiones atque partes, velut in propriam coloniam deducto: Ita eſt utique neceſſe, ut *Catarrhalis* febris, vel iſtorum *Catarrhorum*, vel horum *Rhevmatum* ſocietati, nomen ſuum, imo potius veram *differentiam ſpecificam* ab aliis febribus, debeat.

XIV.

Enimverò circà *Catharrhales* febres, tanquam *ſtrictiore* illo Catarrhi ſenſu atque cenſu, nulla ſubeſt difficultas in *uſitatâ* maxime Febris hoc nomine indicatæ hiſtoria. Unde v. g. *Williſius*, febrem illam quam allegat *catarrhalem*, manifeſtò *raucedini ac tuſſi fere continuæ*, quin *tuſſi & catarrho*, uti loquitur, *ſociatam fuiſſe*: imo *tuſſim*, *veluti proprium hujus morbi ſymptoma*, *inferre ſolitam* eſſe, annotat: quin porro, *in quibus ſanguis à ſeri mixtione dilutior factus, & tuſſi ac affectioni rhevmaticæ maximè obnoxius fuerit, illos ab intemperie febrili, cum leviore plaga abſolutos* fuiſſe, his ipſis verbis commemorat.

XV.

Sicut autem hoc intuitu, *Catarrhalis* dicenda veniat febris, *catarrhum* utique ut pro fundamento habeat, & unicè ab eo denominationem ſuam accipiat neceſſe eſt; ita eſt tamen etiam ea altera parte, neceſſariò conſiderandum, *qualisnam Febris* eſſe debeat, quæ cum *catarrho* quocunque modo concurrens, hanc ſpeciem propriam abſolvat?

XVI.

Cum enim, ſi v. g. *gravedo*, *tuſſis*, *raucedo*, *coryza*, *branchus*, *tonſillarum ſimplex* mucida *intumeſcentia*, & quicquid tandem *Catarrhi* nomine deſignari ſolet; ſi quomodocunque, quandocunque, & quantumcunque, cum certa aliqua ſpecie Febris aliunde determinata, concurrat, eo ipſo non facit ex iſta Febre *catarrhalem*; v. g. quando *intermittenti*, præſertim *diuturniori*, uti quidem ſatis familiariter contingit, *gravedo*, *Coryza*, *tuſſis*, aut *raucedo*, quantumcunq; vel vehemens, vel diuturna, concurrat, nemo puto fuerit, aut certe fruſtrà fuerit, qui propterea *intermittentem* in *catarrhalem* tranſire crediderit: quod idem etiam de aliis ſpeciebus ita intelligendum.

XVII.

Eodem utique modo, reciprocè, advertere animum convenit, ad indolem illam Febrium harum quæ *Catarrho* ita concurſare ſolent; an hæ quoque promiſcuè cujuscunque

que alterius *ſpeciei*, catarrhis temerè veluti ita coaleſcere ſoleant, & dum hoc faciunt, deinde Febris *Catarrhalis* nomen, ut novum *ſpecificum*, mereantur, amiſſo priſtino? ut v. g. ſi quis *catarrho* correptus ſit, etiam quantumlibet importuno, huic facile expectanda veniat, vel febris *biliofa*, vel *variolarum*, *morbillorum*, *purpuræ*, *petechiarum* ferax, ſine diſcrimine æque, atque ſine diverſitate ipſius conſtitutionis *catarrhalis*: aut febris *intermittens* quæcunque: *indifferenter* inquam, jam hæc jam illa; tam facile hæc quam illa. Quod quidem iterum quenquam fore qui adſtruat, non credo, aut vana certe fuerit ejus aſſertio. Si verò non ita *generalis* atque *communis*, ſed *propria* potius eſt *indoles* illius febris, quæ cum *Catarrhis* concurrendo, *ſpeciem* hanc ita conſtituere intelligitur, ut *proprium* inde *nomen* mereri judicetur; erit ſane operæ pretium perſpexiſſe, an utique ſit reverà *Febris*, etiam ita, uti febris, *peculiaris* atque *propriæ* cujusdam *indolis* ſtrictiſſimæ: an verò reverà ad minimum *ſubalternæ* cuidam claſſi aſſignanda?

XIIX.

Præterea verò meretur omninò etiam conſiderari ille *mutuus habitus*, quem *Catarrhus ad Febrem* & *reciprocè* febris ad catarrhum, præ ſe ferunt. Cum enim *Catarrhi* nullius vulgò noti, *proprium* ſit, *febrem*, nomine hoc è confeſſo dignam, *certo adjunctam* habere: neque verò etiam *reciprocè*, *ſpecies* aliqua aliàs uſitata *febris* nominari poſſit, quæ tanquam *eſſentiali* ratione, *catarrhos* adſciſcere ſoleat: eſt, ſecundùm has univerſas circumſtantias, conſideratu utique neceſſarium, quonam *intuitu*, & quanam Catarrhi conſtitutione, febris illi *concurſare* ſoleat.

XIX.

Propriam planè *ſpeciem catarrhi* eſſe, quæ *Febrem* catarrhalem *adſciſcat*, eſſet quidem conceptui à veriſimilitudine non alienum; niſi refragaretur non ſolum, ſed etiam lucem quaſi ſimul præferret pro ſinceriore rei ipſius dignotione, experientia. Utpote quæ manifeſtum potiùs reddit, quod *accidentales* magis *catarrhorum* æque ſtrictiùs dictorum, at-

 que

que *Rhevmatum*, interverſiones, Febris ortui & concurſui præcipuam operam navent.

XX.

Unde quidem *Catarrhis*, quoad *internam* ſuam conſtitutionem etiam *ſimplicioribus*, *febris* accedere ſolet; ſi vel per externas occaſiones nimio *impetu* impellantur; vel impulſi in libero *exitu* impediantur: vel impediti ita, ſed tamen *commoti*, ad *penitiores* partes & meatus reſtagnent; & ibi non ſolùm *infarctus*, ſed etiam *ſtaſes inflammatorio-ulceroſas* ita cauſentur.

XXI.

Quibus circumſtantiis ſi adhuc diverſa catarrhorum indoles accedat, ut catarrhus *acris*, *ſalſus*; (aut *bilioſus* juxta veteres,) cum ſubtili *ſanguinis* miſcela concurrente, his *accidentalibus* depravationibus afficiatur: evenit hinc utique non ſolùm tanto *certior*, ſed etiam tantò *fortior* Febris.

XXII.

Jam, ſi *Rhevmatis* contradiſtinctionem adverſus *catarrhum*, ita ſpecialiſſimo ſenſu dictum, intuemur, involvit hoc, *rhevma*, propemodum ad ſenſum, illam præcipuam differentiam, quod ubicunque contingit, plus manifeſti *ſanguinei concurſus* involvere videatur, quam in contradiſtinctione cum ipſo ſumptus *catarrhus*: qui ſimplicioris *ſeroſo-mucidæ*, ſeu *pituitoſæ* Veteribus dictæ, eſt craſeos. Unde, ſicut ipſi ita ſumpto Rhevmati, velut inſeparabilis adhæret qualiscunque *febricula*: ita eſt hæc manifeſtò & evidentiſſimè tanto *fortior*, & omni modo *acrior*, imò *pejor*, quantò plus *ſanguineæ* ſubſtantiæ altiùs ad partes *ſeriferas* unà cum ſero atque lympha penitiùs diffuſum, *acrioris*, & *putredini* propinquioris corruptionis, periculum ita infert.

XXIII.

Unde quidem, cum *Rhevmatiſmis* etiam velut ordinariè, & propemodùm *per eſſentiam*, quod ajunt, conjuncta ſit *febrilis* aliqua commotio; nedum ut pejus cedenti eidem,

acerrimæ profectò febres veſtigia ſimpliciter premant: Non injuria mirari liceat, cur tam rara ſit *Rhevmaticarum* febrium, ſub hoc ipſo imprimis titulo, mentio, ut vix unus demum *Mortonus*, licet profectò nec ipſe dilucidè, hanc viam inſiſtere cordi habuerit.

XXIV.

Cum autem ex his comparationibus omninò utique dilucefcat, quod neque *Catarrhus abſolute*, verè, ex uſitato juſto ſenſu & acceptione, *febrem* unà involvat aut inferat; nec etiam ipſa *Rhevmata*, quamvis, per uſitatas commemorationes, vix unquam à *febrili* veriore commotione planè libera exiſtant, tamen ita *exquiſitam* febrem, ut ejus potius, quam ipſius *rhevmatis* ratio habenda videatur, minimè, per ipſam ſui eſſentiam, involvant atque complectantur: nec etiam *reciprocè*, febris *aliqua* peculiaris, nedum generalius *plures* diverſæ, *Catarrhorum* ita ſimpliciter feraces exiſtant, ut febris *Catarrhalis* nomine, intelligi debeat febris *Catarrhum producens*: Sed omni modo potius, febris *Catarrho ſuperveniens* demum & *accedens*: Panditur utique ex hoc demum intuitu vera ſcena, è qua ipſa febris *Catarrhalis* in caveam, quod ajunt, ſeu arenam, proprie procedat.

XXV.

Sumit nempe hinc initium, hiſtoria veluti *cauſalis*, habitus febris *Catarrhalis*, commonſtrando, quod præcipua ejus *cauſa*, ſit *peculiaris habitus* catarrhorum. Adeò, ut *catarrhalis* febris tunc demum fieri ſeu locum invenire reputanda ſit, quando catarrho *ſpecialis* illa *conditio* accedit, extra quam ille omnino à febre liber, imo alienus, & ſimplex ſolùm, exiſtere ſoleret. Quando verò, quoties, dico, hæc *conditio* ipſi accidat, toties etiam *febris* accedat, ſeu febris *Catarrhalis* fiat. Neque verò etiam hoc ſolum; ſed quanto magis etiam conſtitutio velut *excellat*, tantò magis etiam illa, non ſolum manifeſta, ſed & *fortis* & *eximia* ſit illa febris.

XXVI.

Superfluum forte videri poſſit, niſi peculiares circumſtantiæ contrarium ſuaderent, monere, quod, ubi nullus compareat *Catarrhus*, (tanto magis *uſitatâ* acceptione talis,) ibi etiam inanis fuerit operæ, *catarrhalem* febrem arguere, & de præſentia ejus vere ita argutari. Non, inquam, monere hoc in animum induxiſſemus, niſi per malignos mores hodiernos, etiam ibi non ſolum febres *catarrhales*, ſed prorſus, valde *acutæ*, utique *primo ſeptenario mortiferæ*, etiam publicè ſupponerentur, ubi *uſitati ſenſus* Catarrhus nusquam comparuerit: aliorum autem *Catarrhalium ſymptomatum* tam levis ratio habeatur, ut illa etiam pro *leviſſimis*, adeoque non ſolum non ad *Catarrhalem* ſed minime omnium ad *malignam* febrem, & imprimis *lethiferam*, idoneis, adeoque ad totum hunc eventum nihil facientibus, declarentur.

XXVII.

Sanè verò alia viâ incedendum eſſe, niſi omnium rerum diſcrimina diripiendi libido regnet, exigit ſana ratio. Poterit enim utique, uti *ſimplex* Catarrhalis febris, non fieri, niſi peculiariter conſtituto Catarrho: ita ſanè *maligna* Catarrhalis febris, nunquam abſolutè poterit fieri, niſi vel catarrhi conſtitutio *malignitatem* conceperit; vel reliquæ *febri* ſimpliciori catarrhali, *perverſio* peculiaris per accidens ſuperinducta ſit.

XXVIII.

Niſi enim, inquam, hæc ita ſe habere ipſa utique re doceatur, nihil certè erit niſi nudum μορμολύκειον, intruſio illa, tanquam ἀπὸ μηχανῆς & craſſo modo *cauſaria*, *malignitatis*: nempè ut vulgo per horrendum illud nomen verè *peſtilens*, perſuadeatur, quod non ſolum *inuſitata* illa & prorſus *heteroclita* ſymptomata, quæ illi febri ſuperinducta ſunt, ex *intima* peſſimâ indole febris, & nullo alio *errore*, coorta ſint: Sed etiam ita ipſa *mors*, directè & ſimpliciter à

ma-

malignitate quà tali, juxtà intricatas phantaſias, non ſimpliciter iterum diſſipatâ, & admodum potenter expulsâ, poſſeſſionem arripuerit.

XXIX.

Cum autem apud homines tranquilla rationis cynoſurâ, in rebus certè maximi momenti, decenter utendi ſollicitos, facilè utique ſit colligere, quod *catarrhalis* febris ſine *catarrho*; *catarrhalis maligna* ſine *malignitate catarrhi*: *febris maligna*, & plane *deleteria*, ſine allegandis veriſimilibus *cauſis* malignitatis, ſint res, in veritate apud genus humanum per divinam clementiam revera *inuſitatæ*: erit proinde certè neceſſe, ut tales res ad honeſtam fidem adſtrui poſſint, non ſolum alia, ſed revera contrariâ, demonſtrandi methodo.

XXX.

Ut itaque propius ad ætiologiam *catarrhalis* febris pateat aditus, conſideranda veniunt *duo* potisſimum phænomena; unum *Catarrho*, alterum *febri acceſſoriæ*, conveniens: Imò hoc poſtremum inter catarrhum *exerrantem*, & febrem *coorientem*, veluti reciprocum.

XXXI.

Priusquam tamen de Catarrho, ad ſenſum reverà alienius delicatum nomenclatorum, dicam, monere utique neceſſarium duco, quod non ſolum *Rhevmatis* vocem, cum ipſo *Hippocrate* lib. de *priſcâ medicinâ*, *latiorem* faciam, quam ipſum ſtrictiore tali ſumptione *catarrhum*: ſed etiam imprimis *Rhevma Hippocratis*, ad ductum nominato loco propoſiti effati, (quod, cum totum *hiſtoricum* ſit, & de rebus nudis *uti fiunt*, loquatur, nihil quidquam autem *opinioni* aut *explicationi* arbitrariæ tribuat, tanto minus ullam mutationem aut aliam explicationem admittit,) proprie accipiam de tali Catarrhali conſtitutione, quæ, ſecundùm vûlgatisſimam quidem loquendi formulam (nihil jam *ſimplex* amplius, ſed peculiariter) *acre* quiddam involvat: ſecundùm rei veritatem autem, ſive tandem *à priori* ita ſe habere intelligatur, ſive *à po-*

ſte-

ſteriori, & quaſi *per accidens* eo pertingat, *inflammatorium* quiddam ſubeat, & partibus inducat.

XXXII.

Placet omninò verba *Hippocratis*, rem egregiè exprimentia, in medium producere Locus eſt Libr. *de Priſca Medicina* (editionis Genev. p. 15.) ita ſonans: *Ubi gravedo*, (κόρυζα) *oritur, & e naribus* rhevma *movetur, tale, quod vt plurimum acrius eſt eò quale prius fit, & per nares quotidie prodit: & intumeſcere facit naſum, & adurit concalefactum & æſtuantem ad extremum. Cui ſi manum adferas, & diutius ſubſiſtit, & ulceratur locus, etiam excarnis exiſtens & durus. Ceſſat autem tunc ardor hic è naribus, non quam diu hujusmodi rhevma actu fit & ardor* (φλεγμονὴ) *præſtò eſt: ſed tunc, quando & ſpisſius evadit, & minus acre, concoctum, & magis ſubactum mixtione, quàm primo fiebat: tunc demum ceſſat ardens æſtus*, (καῦμα) NB. *Quibusdam verò ex ſola frigiditate, & nullius alterius rei cooperatione manifeſto contingit*: (ſuperfluus fluxus per nares:) *omnibus autem talibus mutatio contingit, ſi quidem à refrigeratione iterum calefiant; aut è concalefactione refrigeſcant: & hæc ipſa prompte & celeriter procedunt, nec opus habent concoctione ulla: Omnia autem reliqua* (rhevmata) *quæ ab humorum acrimonia & inſufficiente contemperatione fieri* EGO *dico*, ait, *eadem ratione deſiſtunt, quando ſubacta & concocta ſunt. Quæ autem rhevmata talia ad oculos convertuntur, vehementes & omnimodas acrimonias complexa, exulcerant palpebras & arrodunt; aliquibus etiam genas & partes oculis ſubjectas, ſi in illas defluant, arrodunt: & exedunt etiam tunicam quæ pupillam ambit. Dolor autem, ardor, & extrema æſtuatio, obſidet eò usque, donec rhevmata hæc concoquantur, & craſſiora evadant, & lemæ ex illis evadant.* - - - Paria *talia*, *verò, ſi in fauces invadant, è quibus raucedines, anginæ, eryſipelata, peripnevmoniæ; omnia hæc primò ſalſa, humida & acria procedunt, & his ita exiſtentibus confirmatur morbus*:

bus: *Quando autem ſpiſſeſcunt & concoquuntur*, *& omnis acrimonia mutatur in alium ſtatum*, NB. τοτ' ἤδη ϗ οἱ πυρετοὶ λύονται, *tunc ſtatim &* Febres *ſolvuntur*, *& reliqua hominem* λυπέοντα, *triſti ſenſu*, ut recentiores loquuntur, afficientia.

XXXIII.

Quid autem hic aliud *nudis verbis*, ſine omni aliena *additione* aut *explicatione*, ſed ſimplici uti jacent, acceptione, eloquitur *Hippocrates*, niſi, quod aliquid quidem per nares aliquando profluat,(etiam præter perpetuum morem) quod *à ſola frigoris & caloris viciſſitudine*,& oriatur, & iterum diſſolvatur atque diſcutiatur. Aliquando autem tale quiddam fluat (ruat) *acre*, *urens* ſeu *cauſticum*, *æſtum*, φλογμὸν, *imò Eryſipelas*, *Peripnevmoniam*, inferens. Quin denique, nihil ambiguis verbis, FEBRES conjunctas habeat. Ut nihil adhuc ſcrutari ſuſcipiam, quod omninò non *ſingulari* numero πυρετὸν, ſed *plurali*, πυρετὸς nominet; nempe non *uni* fortè tali affectui, ſed etiam *pluribus* evenire ſolitas. Certè manifeſto diverſis nominibus commemorat, *Cynanchen*, *Eryſipelata*, *Peripnevmoniam*, ſi talia *Rhevmata acria* in fauces irruant.

XXXIV.

Hæc autem, ita diverſis nominibus commemorata, cum veluti pro planè & abſolutè etiam mutuò diverſis fortè accipi atque reputari poſſent, explicat illa longè exquiſitius, & quidem ſimpliciter *Practicè Clinicè*, ut in facto, experientiâ Practicâ, in ipſis individuis ægris, ſeſe habere deprehenduntur, in *Coacis prænotionibus*; ubi hos habet de hâc re textus ſimpliciſſimos. Τὰ κυναγχικὰ, (non ſimpliciter, *anginæ*, ſed quæ *anginæ propinqua & idonea* ſunt) *in quibus nec in collo*, *nec in faucibus aliquid apparet*, (quod utique manifeſtò iterum non eſt *veræ anginæ formaliter perfectæ*,) *vehementem ſuffocationem & ſpirandi difficultatem inferentia*, aut comitem habentia, *necant illo ipſo die*, *aut tertio*. Quæ vero *tumorem*

C

rem & ruborem in collo ſuſcipiunt, in reliquis autem (ſuffocationis & ſpirandi difficultatis circumſtantiis) *plurimum pariter ſe habent, diuturniora ſunt.* Quibus autem ſimul *extrorſum rubeſcit, non ſolum pharynx, ſed etiam cervix & pectus, ſunt adhuc longioris moræ capacia. Plurimùm autem è talibus ſalvantur, ſi rubores non recurrant ad interiora* (ubi in allegata editione, è verſione cum notis *Foeſii* ſphalma eſt in latino textu rude, *maximè* poſito pro *minime*:) *Quod ſi talia evaneſcant, neq; in exteriora converſum ſit aliquod tuberculum, neq; pus exſcreetur, facilè & ſine dolore, neque in diebus ad criſin pertinentibus tale quid fiat*, PERNICIOSUM EST - - - *Maximè verò periculo detrahit, quando vel rubor & ἀποστασίαι, ſeceſſio materiæ, quam maximè, extrorſum convertitur. Eryſipelas vero extrorſum quidem* SUPERVENIRE, *ἐπιγίνεσθαι utile eſt*: INTRO VERO CONVERTI LETHALE. *Convertitur autem ita, quando diſparente rubore pectus gravatur, & anheloſior fit.* Jam poſt aliquot textus: *in angina ſine decentibus ſignis, dolores cum febre in caput redundare, perniciosum.*

XXXV.

Nempe non quidem totidem verbis, ſed pluribus certe, rem interim utique ſimpliciter & penitus *eandem* hic clariùs eloquitur, quàm lib. *de priſcâ Med.* factum, nempe: Quod *eædem materiæ, eadem conſtitutio*, quæ ſtricte *in faucibus, anginam* formare compos ſit, ſi inſigni *impetu* irruat, (*qualitatis* imprimis magis quàm *quantitatis*,) *periculoſiſſima* quidem ſit; interim *poſſit* etiam, ſeu potius *ſoleat* in aliquibus ſubjectis, *ſimul*, aut *ſucceſſu* aliquo, *Eryſipelas* formare: *Rubore & tumore in faucibus*; imò etiam *extrorſum* converſo motu *in collum, in pectus*: aut *introrſum, in pulmones* (ut proximè ſequens habet textus): Num enim hoc aliud usquam eſt, quam illud quod ſuprà citato loco *de priſc. Med.* dixit, quod *talia acria Rhevmata, ad pharyngem converſa, efficiant branchum, Cynanchem, Eryſipelata, Peri-*

pneu-

pnevmoniam: Uno certe halitu hic dicit, quod in altero ſloco magis diducit, & tam *ſucceſſionem*, quàm etiam ampliorem ita *diffuſionem* unius ejusdemque rei, nempe *materialis* cauſæ, in paucis quidem illis verbis breviter ſed realiter indicat: quod pluribus hîc non tam magis diducit, quam deducit.

XXXVI.

Simul autem, ipſo *lib. de priſc. Med.* quicquid etiam utique de primis caſibus non ſatis expreſſiſſe videri poſſet, exſequitur diſertè poſteriore hoc ſermone, quod, quando materia illa *acrimoniam* ſuam, *concoctione* debita, ad quam utique *temporis* ſucceſſus requirantur, depoſuerit & amiſerit; τοτ' ἤδη TUNC MOX ϗ οἱ πυρετοὶ λύονται, & FEBRES *ſolvantur*, ϗ τὰ ἄλλα, *& reliqua*, *quæ hominem* λυπέονται, *tanquam triſtitia afficiunt*, ſeu affligunt. Quamvis enim in confeſſo ſit, quod *Peripnevmonia* nunquam ſit ſine *febre*: & *Eryſipelati* quoque, licet nequaquam ſimpliciter verè & plenè, implexa ſit, tamen paſſim utiq; velut *immineat* febris: maluit tamen *Hippocrates* quaſi ταυτολογεῖν, quam rei ita certæ hiſtoriam velut involutam dare.

XXXVII.

Sicut autem illi, qui *Catarrhi* ſignificatum arctioribus cancellis includunt, *locum* maximè ſtrictiorem illi ita præfiniunt, ut eundem *capiti faucibus*, (& fortaſſis ſecundùm exquiſitiores, *œſophago* & *orificio ventriculi*,) & *pectori* aſſignent: reliquos autem cum his ſimilitudinem præ ſe ferentes affectus per alias, aut *inferiores* partes *Rhevmatiſmi* nomine ſalutant: ita debent tamen ad minimum *Hippocratis* hanc ſolertiam omni modo admittere, quam etiam pro autoritate interponit, allegato loco dicens rotundis verbis, & quidem poſt deſcriptionem *fluxionis ſimplicis abundantioris per nares*, (nempe *catarrhalis* horum interpretum,) *reliqua vero omnia talia* (nempè illa difficiliora, ὅσα, quæ talia pejores illas, & febriles usque conſecutiones ferunt,) φημὶ ἔγωγε γίνεσθαι, DICO EGO fieri &c.

XXXVIII.

Ex his itaque præmiſſis, dictante, aut notante ad minimum, ipſo utique *Hippocrate*, conficitur ita luculenter, quod *Catarrhi* ſeu ῥέοντα illa, quando πρῶτον ἁλμυροὶ τε καὶ ὑγροὶ, καὶ δριμέες, *primùm ſalſi, & humidi & acres evadant*, tunc non ſolum affectibus talibus, quibus *Febris* complicari ſoleat, propriè pares evadant, ſeu ipſius appellatione, *rhevmata* talia λυπέοντα τὸν ἄνθρωπον conſtituant:

XXXIX.

Sed etiam *Febres* ita inferant, & conſtituant veluti, aut certè foveant, quæ τοτ᾽ ἤδη, TUNC STATIM λύονται, *ſolvantur*, ὅταν πάσης δριμύτητος ἀπαλλαγμένα, *quando omnis talis acrimoniæ expertia* γένηται, *facta fuerint*, hæc materialia ῥεύματα.

XL.

Ita habetur certè in his ipſius jam *Hippocratis* præfigurationibus veluti vivis, *generalis hiſtorica* commemoratio ſimpliciſſima, *Febrium Catarrhalium*; nempe: quod fluxionibus *talibus*, quas quidem ille hîc *rhevmata*, appellat, familiaris eſſe ſoleat *acceſſus Febrium*; ſicut in *acutis* illis caſibus, *talis* utiquè κυνάγχης, *talium* inquam (τοῦτο δὲ ὅσα - - ἐν τοῖσι τοιούτοισιν, ait,) κυναγχικῶν (ῥευμάτων) tàm præſentis periculi, *utile* eſſe præſagit *Eryſipelas* extrorſum ἐπιγίνεσθαι, *ſupervenire*: quod certè, *in hac conſtitutione*, ſine *febrili* concurſu non contingit.

XLI.

Cum autem nec in his locis, neque in aliis tantò minus, exquiſitius proſequatur *peculiarem* magis *indolem* harum talium Febrium; erit utique è re noſtra, ante omnia ex ipſa *hiſtoriâ Clinica* expromere, quænam *verè* ſit harum febrium indoles: deinde verò etiam ex ipſo *Hippocrate*, tanquam pro confirmatione ab *autoritate*, etiam elicere, quid ille harum ipſarum rerum omninò hic *elocutus* ſit, ſatis utique *luculenter* pro intelligentibus.

XLII.

XLII.

Quando nempe ipſæ *Catarrhales* vulgo dictæ invaſiones in *nares*, ſeu potius *radicem narium*, ingruunt, ut revera diverſam à ſtrictæ acceptionis uſitata *coryza*, legitimè *fluente*, veram *gravedinem*, *refractariam*, forment, appoſitè germanis noſtris dictam, den Stock-Schnuppen; Tanto magis autem, ſi circa *fauces* ita inſideant, ut non tam ſimplici *raucedine*, quam qualiscunque etiam *deglutitionis* moleſtiis, tanto magis autem *difficultatibus* inſignibus, ſeſe exſerant:

XLIII.

Adhuc magis vero, ſi νεανικῶς, ut loquitur *Hippocrates* cit. loc. *Coacarum*, circà *intimiores fauces*, *pectus* internum, aut *collum* externum, cum manifeſtiore *Eryſipelatode* conſtitutione ſeſe ſiſtant; Cum *gravatione* pectoris, & *tuſſi* plus minus *feroci*, ſed tamen *parum exonerante*: Ibi præſtò ſtatim eſt illud λυπέεσϑαι, *triſtitiâ*, certe *languore* eximio, afficere patientem.

XLIV.

Proximum autem planè, imò non *promptum* ſolum, ſed tunc quidem etiam *præceps* eſt, ſi *quantitas & qualitas materiæ* aut *fluxus*, aut *utrumque* inſoleſcant, ut patientes tales *manifeſta* FEBRE, (citrà ſpeculatorum inanes extenſiones nominis febris,) hinc corripiantur. Nempè verum planè *ſenſibiliter auctiorem motum univerſalem* ſanguinis, *pulſu*, *tono*, & per hunc *adſpectu*, *colore*, *calore*, *conſiſtentia* & *tempore ſecretionum* & *excretionum* ſingularibus, ſubeundo.

XLV.

Jam autem, quando ita νεανικῶς in *pectore* cooritur illud, quod *Hippocrates* hic *Rhevmati*, *huic*, *tali*, attribuit, ad *pulmones converſo* (juxta locum in *Coacis*) ut ibi *Peripnevmoniam* efficiat; quis usquam, niſi praxeos omnis ignarus, neſcit, quod ibi abſolutè & infallibiliter conjungatur *Febris*

XLVI.

Præterea vero, licet *Eryſipelas*, imprimis à *ſtaſi rhevmati-*

matica cooriens, aut *diffuſioni* ejus ab uno loco in alterum verè ἐπιγενόμενον, juxta *Hippocratem*, tam parum febrem *ſequatur*, quam aliud quidquam horum generum reliquum *Catarrhale* ſeu *rhevmaticum* tale: SUPERVENIT tamen etiam ipſi *Eryſipelaticæ* conſtitutioni tali, facillimè, adeoque verè ipſo facto familiariſſime, *Febrilis* talis *commotio*. Tantò præſentius, quantò magis perverſo *modo* atque *motu*, *acuti* hi ſeu δριμέες humores, *intempeſtivè incitantur*, aut *Eryſipelatodes* illorum efficacia illa, perversâ ratione τρέπεται, *alio vertitur*, *quàm extrorſum*, quam *Hippocrates* ita manifeſtiſſime ob oculos ponit, & quidem ſub *contrarietate melioris motus*, à quo non τρέπεσθαι *averti* debeat: numerò enumerans, quod in his talibus affectibus & conſtitutionibus *tunc demum* μάλιστα ἐξ αὐτῶν σώζεται *utplurimum* (potiſſimum) *ex his ſerventur*, ἢν μὴ παλινδρομέει τὰ ἐρυθήματα, *ſi non ad interiora convertantur convertantur rubores*; ἢν δὲ ἀφανίζεται, *ſi verò hi diſpareant*, ὀλέθρια γίνεται, *pernicioſa fiant*: & adhuc ſemel, ex abundanti ſubjungit immediatè, ἀσφαλέστατόν τε, τὸ ἐρυθὸς καὶ τὰς ἀποστασίας ὅτι μάλιστα ἔξω τρέπεσθαι, *ſecurisſimum autem eſt, ruborem & totam ſecesſionem rhevmaticam quam plurimum extrorſum verti.* Et ſtatim denuò, nullo verbo interpoſito, *Eryſipelas quidem extrorſum* (tali conſtitutioni) SUPERVENIRE, *utile*; *introrſum autem* τρέπεσθαι, *converti* θανάσιμον, *funeſtum.* Et ne fortè de *alio* Eryſipelate, aut *quolibet* in genere, ſermonem ipſi hic eſſe putetur, applicat dicta *huic* negotio ſimpliciter, dicens, quod hujus converſionis tota ſcena ſit, ut *diſparente rubore pectus gravetur* & *anheloſiores fiant*: Merentur verba ejus, propter plenam emphaſin adſcribi: Ἐρυσιπέλατα - - - ἔσω δὲ τρέπεσθαι, θανάσιμον. Τρέπεται δέ, ὅταν ἀφανιζομένȣ τȣ̃ ἐρυθήματος, βαρύνηται τὸ στῆθος, καὶ δυσπνώτεροι γίνεται.

XLVII.

Ubi tamen ſingularem utique attentionem meretur, quod

ab hujusmodi *rhevmaticorum eryſipelatum intrò converſione*, *gravationem & difficultatem reſpirationis* oriri indicet, nullam autem *tusſis* mentionem faciat. Plane profectò *practicè*; nempe ſecundum *Clinicam* obſervationem; qua factum quidem ipſum certum pasſim deprehenditur: Quod autem reverà ſimpliciter *à pectore* hoc ſit, non pariter exquiſitè certum, ſed dubiis inter *pectus & præcordia* vulgò dicta, indiciis: ſive *diaphragma*, ſive *orificium ventriculi*, ſive *ventriculus* ipſe, patiatur ab illa palindrome. *Hippocratem* certè ipſum, his iisdem verbis, non intellexiſſe *contenta pectoris*, ſed ad ſummum *continentes* partes pectoris, manifeſto indicio eſſe poteſt, quod, poſtquàm hic elocutus eſt τὸ ςῆθος grave fieri: immediatè ſequente textu ſubjungat, quibus *Cynanche in pulmonem* τρέπεται &c. ut ita luculentus ſit diverſus ſenſus & acceptio, de quibus rebus loquatur.

XLVIII.

Eſt itaque hæc ipſa ortus febrium Catarrhalium hiſtoria, quod accidant, ſeu verius accedant atque ſuperveniant *Catarrhalibus* affectibus, non ſolum *acrioribus*, & ut habent verba *Hipp. de Priſc. med.* ἑλκῶδες quiddam, φλεγμονῶδες, *Eryſipelatodes*, complectentibus; ſed imprimis inſuper tales *partes* invadentibus, & tali tùm *quantitate*, tùm *qualitate*, *tum motus impetu*, in quibus illa *ulceroſa* efficacia, καῦμα præterea & φλογμὸς, *Eryſipelatodis* ingenii, neque *ſedem ſeu moram*, nec *exitum*, ſine *periculoſo* ſucceſſu, aſſequi poſſit: quem vero aut ab *intimioribus* depulſione, & ad *proximas* interiores *expulſione* rubicunda & *Eryſipelacea*, (imprimis *ſpontaneis* ſucceſſibus) aſſequatur: aut *ſucceſſivis* providis *diſcusſionibus* obſequatur: aut παχύνσεως καὶ πέψεος tandem ſubſequentis ope, λύεται, verè ſolvatur.

XLIX.

Sicut autem & *periculum inflammatorio-corruptivum*, circa has interiores partes, qualem præcipuam nominat *Hippocrates*, *Pharyngem*, *præſentiorem* opem requirit, ut *depulſio* à tali

a tali loco perpetretur; ita non eſt utique alius, *in poteſtate œconomiæ animalis*, *modus* aut *motus*, *intimiores* periculoſas *inflammatorio-corruptivas* collectiones, *depellendi* aut *expellendi*, præter *Febrilem commotionem*, ſeu *conſtantius augmentum*, & imprimis *proportionatum*, *maſſæ humorum progreſsûs localis*. Cum verò hoc ſit illud ipſum quod FEBRIS nomine venit; apparet ita, ſimplici omninò atque plenâ prorſus conſideratione, *totus nexus*, quem *talis febris* cum *Catarrho* tali habet. Dum videlicet ita, pro *ſalutari diſcusſione*, alicubi periculoſiùs irruentis Catarrhi, talis, qui καύματος, φλογμοῦ, ἑλκώσεως compos ſit; & pro *depulſione* materiæ hujus ad partes minus periculi admittentes, præcipuè *proximè vicinas*, eo maximè modo & reſpectu, faciat, quod *motus auctior humorum localis*, *materialiter*, quod ajunt (uti *formaliter*, *proportione* objecto emovendo reſpondente inſtructus,) exiſtat.

L.

Antequàm autem ita ad qualemcunque *ætiologicam* conſiderationem progreſſum faciamus ulteriorem, eſt utique prius ulterius abſolvenda *indolis* hujus Febris verioris, ipſa *hiſtoria*. Siſtit hanc nobis obſervatio *Clinica*, ſeu ad ipſos lectos patientium, talem, ut antè omnia, *ſimplicior* inquam *Catarrhalis febris*, ut loquitur *Williſius*, *continentem*, indolem exhibeat & exprimat, i. e. neque cum *frigore aut horrore*, ut aliæ *continuæ*, aut craſſiore modo *inflammatoriæ internæ*, ſolent, *primam* ſuam *invaſionem* aggrediatur; nec *impoſterum* etiam, quod aliæ *continuæ* faciunt, quoquo modo *ſtatas* exacerbationes agitet.

LI.

Eſt hoc autem omninò benè notandum, uti maximè notum eſſe poteſt ex illis phænomenis, quæ *Eryſipelata* etiam ſimpliciora, poſt *iracundiam*, *terrorem*, & imprimis prægreſſam jam notabilem *adſuetudinem*, ſtipare ſolent: ubi nempe communiſſima eſt nuda talis *percurſatio horridula*, etiam ſubinde per horas multas, imò in alterum usque diem, durans,

non

non ſemper cum intercurſantibus volaticis *incaleſcentiis*, levibus etiam ipſis, qualitercunque alternans: ſed ſolo ferè *languore* fatigatorio & faſtidioſo comitante.

LII.

Ubi non ſolum nihil impedit, ſed quam maximè etiam peritam conſiderationem acuit, & ſanè talem omnino exigit, phænomenon quadantenus diſpar patientium aliorum, qui eruptionem *Eryſipelatis* cum vero inſigni *horrore* parturiunt: Sicut etiam *Rhevmaticæ febres*, quæ à rhevmatibus *importunioribus*, in *floridis* & *ſanguineo-bilioſis* corporibus, inauſpicato citò *ad intimiora* converſis, *præcordia*, & *hypochondria*, & *dextrum* quidem imprimis, invadendo, *vehementiores inflammationes* viſcerum formantibus, cooriuntur, primam invaſionem cum *horrore* ſatis vehemente ordiuntur. Quandoquidem *Eryſipelacei* quidem tales patientes, qui talem *horrorem* experiuntur, communiter vel *externi frigoris* minus provide rationem habentes, occaſionem ita præbent *accidentali* hujusmodi exacerbationi: vel *bilioſiore* commotione *iracundâ*, ſimul etiam *vomitus bilioſos* parturiunt: id quod de reliquo circà *majores inflammationes internas*, quantumcunque à *rhevmatica* occaſione, cum *plethorica* tamen imprimis conſtitutione exortas, inſequuntur, è vera theoria motuum febrilium, quatenus *ſalutares* fieri debent, non difficile adeo eſt intelligere. Interim autem tantiſper ad minimum manifeſtæ veritatis, quod ab *accidentali* cauſa, *individuis* ita ſolum aliquibus, nequaquam autem *ſpeciei*, adeoque *Eryſipelati quà tali*, verè *horrida frigida invaſio*, ſimpliciter eveniat.

LIII.

Quod autem reliquum etiam *decurſum continenti* indoli inſiſtentem, concernit, & ipſum omninò *exitum* harum febrium; ſequuntur quidem illæ *periodum acutam*, ut *indicatorios* & *ſeptenarios* obſervent; & tantò magis quidem, quantò laborioſior eſt ſucceſſus. Interim, licet aliquando, & impri-

primis *ſponte* magis naturæ, quàm inconditis *artificiis impulſoriis*, *diſſipationem* materiæ ab interiore parte, & *expulſionem Eryſipelatodem* ad exteriora forment; & quando hoc, *moderatè* & *oportunè* ita faciunt, FACILE, MATURE, TRANQVILLE, in loca PROXIME CONFINIA, felici ſucceſſu potiantur: tamen nec ita ſimpliciter opus eſt hoc tali ſpeciali effectu, ſed abſolvitur ſæpe numero totum negotium adhuc multò feliciùs, quando & *præoccupando*, & dexterrimè, & omnino *opportuniſſimè ſubtrahendo*, & poſt hac, portionis actualem ſtagnationem jam ſuſtinentis, moderata *aſſidua reſolutione* & *ſucceſſiva diſcuſſione* potiùs, negotium abſolvitur: quàm ut veluti *formaliter*, ab uno loco *privato*, in alterum, quantumcunque etiam latiùs patentem, tamen & ipſum *privatum*, nedum etiam ipſum *parvo ambitu* circum ſcriptum, *depulſio* veluti *particularis*, *unicè* & ſimpliciter requireretur.

LIV.

In illo quidem caſu quem *Hippocrates*, hîc, allegato loco *Coacarum*, commemorat, habet etiam plenum locum illa ſimpliciter ita enarrata *ſucceſſio*. Ubi nempè, quod etiam jam tetigimus, omninò animadvertendum eſt, quod *Hippocrates* has tales conſtitutiones ita verè ſimpliciter *hiſtoricè*, nempè ſimpliciter ut ad PROGNOSIN, commemoret, ut veriſſimum quidem ſit, quicquid ediſſerit; nempe: 1) *quod hæc ita fieri ſoleant*: 2) quando ita fiunt, alia *ſalutariter*, alia *perniciosè* eveniant & *exeant*. Hoc ipſo vero à nemine ſani cerebri lectore ita accipiendus eſt, quaſi ſimpliciter & *abſolutè perpetuò*, *unicè*, ita fiant, nec aliter usquam vel *ſoleant* fieri, vel *poſſint*, imò *debeant*: imprimis ſi ars, ſecundùm veram peritiam & intelligentiam, dextrè ſuccurrat. Utpote quæ etiam hoc non ita abſurdè interpretabitur, quaſi ad ipſam pertineat, non ſolum ſimpliciter & unicè *diſſipationem* τῶν κυναγχικῶν cauſarum, *in formâ Eryſipelatis* extrorſum convertere: ſed vel planè *ad pulmones* derivare: poſtquam

ſanè

ſanè in illos converſæ neque tam *abſolutè*, nec imprimis tam *præproperè funeſtum* exitum ibi ferant.

LV.

Ita nempe, inquam, optimus *ſucceſſus* & *exitus* Catarrhalium Febrium, conſiſtit utique in ſtaſeos illius *Rheumaticæ*, *acris*, *cauſticæ*, *inflammatorio-corruptivæ*, *ſucceſſiva*, ſed tamen *aſſiduâ*, *diſſipatione*: Etiam ſecundùm hypotheſin ipſius *Hippocratis*, & omnium ejus conceptus ſequentium; vel ſecundùm *ſucceſſus* deſideratæ ab ipſo *concoctionis* & *ſubactionis*: (utpote quam æque atque quaslibet *fermentationes*, non *ſimul & ſemel*, ſed *ſucceſſibus* fieri, & per totum materiæ latifundium tandem ſucceſſivè abſolvi, è communi fermentationum praxi utique manifeſtum eſt,) ut ita ſecundùm *ſucceſſum* hujusmodi *concoctionis*, etiam ſucceſſivè fiat *evacuatio* ejus, quod ita concoquendo diſpoſitum eſt.

LVI.

Sunt autem *Catarrhales febres*, hoc ipſo velut evidenter ineptiores, ad veras *Criticas* excuſſiones. Et hoc quidem primò, teſte ipſa *experientia*: utpote luculentur monſtrante, quod febres tales, (exceptis *Epidemicis* aliquando peculiaribus, & planè *ſpecificis* conſtitutionibus,) ab hujusmodi *exquiſitis Criſibus* alienæ ſint, *propriâ* ſuâ indole: &, niſi ad minimum vel ſponte patientis, vel importunâ arte, aliquid extrinſecus turbetur, ab hujusmodi criticis eventibus tam longe abſint, ut ne quidem ad ἀπόςασεις languidiores, *valdè*, nedum *perpetùò*, inclinent, juxta aliquorum opinionem: ſed potius à talibus frequentiſſimè initia ſumant, *parotidum*, aut *anginarum* phænomenis & initiis: præcipiti impulſu depulſâ materia ab his locis, ſed neque *correctioni* ita immediatæ, nec *evacuationi*, niſi *moderatæ* & *ſucceſſivæ*, idonea, & facilè ita obſequi parata.

LVII.

Quod autem in hujusmodi *Catarrhalium* febrium *intempeſtivis* commotionibus, aliquando hujusmodi etiam appa-

rentes ἀπόϛασις, vere *perverſâ arte* demum *producantur*, & deinde imperitiſſime pro *criticis* ſepoſitionibus venditentur, imputari non debet genuino atque ſincero *genio* Febrium talium *proprio*, ſed potius omni cum circumſpectione ab illo ſeparari. Ne hæc ita gratis dicamus, præbet nobis apertam ſcenam ipſa præſens in urbe noſtra conſtitutio.

LVIII.

Invaſerunt hucusque, jam quidem vel à tribus menſibus, præcipuè tamen tantò magis proximo *Januarii*, & ipſo præſente, Februarii menſe, ſub inaudita propemodum hujus hyemis conſtitutione *tepida* (ſed tamen *parciùs humidâ*,) multos mortales *repentini tumores*, tum alicubi *glandularum ſub auribus*; tum ferè multò frequentius *maxillarum* ab auribus antrorſum, & ipſius *colli* ab una aure ad alteram. Multos, & imprimis quibus ita *extrorſum*, *maxillas* occupabat, (circà ipſum collum, nempe *fauces antrorſum* & *cervicem retrorſum*,) affligebat fere minus: Aliquibus autem invadebat *internas* fauces, tumorem tonſillarum, & *deglutiendi* difficultatem, aliquando ſatis importunam adferens. Non defuerunt, diverſæ ætatis æque atque roboris patientes, quibus ſenſibilis *febricula* concurſaret: quæ tamen, *ſibi relicta*, plerumque *lenis* ſatis fuit atque placida: Adeò, ut vix etiam ab *orthoſtadia* patientes impediret, quamvis ad negotia obeunda impares. Quibus autem per *intempeſtivas*, aut quoquo modo alieniores *tractationes*, hi affectus turbabantur; aut non tam ſincerè & expeditè ad exteriora converſi, diutius ita *deliteſcebant*; Illis eveniebant paſſim, & *febriles* commotiones vehementiores, & alia ſymptomata non contemnenda, non tamen æque *violentâ* aut eximii periculi feracia, antè, quàm artificum operæ concurriſſent.

LIX.

Ita quidem fœmina honeſta, ſenſibilis de reliquo texturæ & indolis, ſentiebat hujusmodi tumorem in altero latere, *ſub aure ad maxillam*; tum *quantitate* ſatis notabili, tum

do-

dolore etiam qualicunque intimiore, non negligendum viſum. Uſurpat, neſcio quo conſilio, *medicamentum & regimen ſudoriferum.* Corripitur hinc *febrili commotione* ſatis *acri*, cum multiplici *inquietudine*, *anxietate*, *anguſtia*: Iterum dico, an, & quid ultra ſit adhibitum, compertum non habemus, benè autem illud, quod ſupervenerit non ſolum *fluxus ventris* eximius, ſed etiam *vomitus*, & *conatus* multiplex vomendi, cum magna ventriculi ad quidlibet admittendum aut retinendum impatientia. Cum hæc ad octavum propemodum diem, à primo initio, ita duraviſſent, *ſomno* etiam propemodum nullo, & *anguſtiis* ſummè inquietis, ſedatâ commotione per duas doſes remedii *Nitrati*, (quarum primam etiam adhuc per nauſeam revomuit, alteram autem & retinuit, & inde) quievit ſatis placidè mox ſecutâ nocte: & ſumptis adhuc duabus doſibus leniſſimè reſolventis atque diſcutientis remedii, per totum diem ſubſequentem; evaneſcentibus *vomitù*, *ventris fluxu*, *præcordiorum turbis*, *inquietudine*, *calore* omni, etiam per dubitationem proximo poſtero die interrogavit per domeſticos, an neceſſarium videatur aliquid adhuc aſſumere: & cum majoris ſecuritatis cauſa has eaſdem duas doſes ſemel adhuc repetiiſſet, libera, per divinam gratiam ab univerſis incommodis evaſit.

LX.

Puerilis ipſa, imò *infantilis*, ætas, *cauto* magis, quam *activo* quantumcunque, *regimine*, evaſit *tumores* hujusmodi, etiam ſæpe repentino quodam impetu, trium quatuor horarum; invadentes, ſed eximia ad *exteriora* protuberantia, cum *febrilibus* commotionibus ita leviſſimis, ut *orthoſtadiam* paſſim nequaquam impedirent. Quibuscunque vero *languidè*, & *impeditè*, ſucceſſit ad exteriora hæc eruptio, illis non apparuerunt ſolum *febriles* commotiones ſatis exquiſitæ; imprimis cum *tuſſi* ferè irrita & inani: Sed admodùm frequenter etiam cum ſuperveniente *alvi fluxu*, etiam *intemperante*, & in primis concurſante *vomen-*

mendi conatu. Interim qui ad noſtram notitiam pervenerint, nemo unus tali conſtitutione mortuus eſt,

LXI.

Ex adverſo verò, quando hujusmodi conſtitutiones magis in *vernam*, vel *autumnalem* anni partem incidunt, ubi *ſanguinis* commotio adhuc ſenſibilior concurrat, ibi evadunt & ipſi hi affectus ad *acriorem inflammationem* promptiores, & conſequenter etiam ad *pejorem corruptionem* aptiores: Cui *periculo*, *auctiore motu* ſpontaneo ſanguinis maſſæ totius, in ſubſidium qualiscunque diſcuſſionis, occurritur: adeoque *Febris Catarrhalis acutior* hinc conſurgit.

LXII.

Jam ſi has res ad ætiologiam qualemcunque revocemus, poſſumus non ſolum ſequi tanquam ad verbum *Hippocratis* ſimplicem *hiſtoriam*, ſed verè etiam ſicut eam ipſe *in ordine ad ætiologiam*, commemorat; Tanto magis etiam, extendendo potiùs nudè, quam in alium usquam ſenſum flectendo, ſummam totius rei. Dicit nempè, non magis ſimpliciter narrando, quam diligenter remonſtrando, *Hippocrates*, *Fluxiones* quidem, quæ *ſimpliciùs à frigore humores pervertente*, in tales partes irruant, (ubi poſteros non tam ſimpliciter *frigoris externi* energiam, quam *frigoris humorum interni*, *pituitæ* ſimplicius mucidæ, ſpiſſæ, intemperiem arguere intelligas, & quidem, quoad factum ipſum, nequaquam abſurdè,) *facilè reſolvi permutatione caloris*, quo nempe iterum mobiles reddantur: aut, ſi *partibus* etiam, à *frigore humido* oblatum ſit moderatum vitium, hoc ipſum etiam *calore* iterum corrigi, adeoque hæc omnia ſic ſatis promptè in integrum reſtitui.

LXIII.

Si vero non talis *ſimplicioris* materiæ fluxio ſit, ſed *acris*, ad *ardorem*, *inflammationem*, *ulcerationem*, inferendum paris; Tunc ſequi *roſiones*, *eroſiones*, in loco conveniente *anginam*, *tumorem inflammatorium acutum*, *Eryſipelata*: Imò

has

has tales conſtitutiones *comitari Febres.* Ubi nempe licet minime placeat μικρολογεῖν, tamen cum manifeſta ſit *verborum* Hippocratis cum *ipsâ re* perpetua conſpiratio, & veritatis plena convenientia, libet ad minimum notare, quod ſive hoc ex inſtituto ita dixiſſe voluerit, ſive ſimplici loquendi more fecerit, ſumi tamen omninò ita notanter poſſit locutio illa, quâ utitur his verbis: Omnia hæc, primum quidem *ſalſa*, & *humida* & *acria* ἀφίει, *concedunt*, *ſecedunt*, *abſiſtunt* ab aliis, & *inſiſtunt* in unam talem partem; καὶ ἐν τοῖσι τετέοισιν ἔῤῥωται τὰ νεσήματα, *& in his talibus*, quamdiu talia ſunt, *obfirmantur & perſiſtunt affectus* (ſemel inde formati.) *Quando verò*, pergit, *ſpisſiora evadunt*, *& magis concocta*, *& ab omni acrimonia abalienata*, TUNC STATIM καὶ οἱ πυρετοὶ λύονται & FEBRES *ſolvuntur*, καὶ τὰ ἄλλα & *cetera*; Quod non dicat *Febris*, ſed FEBRES, valet certe commodisſimè, & vera cum ipſa re convenientia, illud, quod *pluribus*, ab hac unâ cauſa δριμίας καὶ ἁλμυρίας ita ſubnaſcentibus νεσήμασιν, (non ſimpliciter *uni* fortè peculiari,) adeoque etiam dicendæ plurali numero FEBRES, ita evenire ſoleant. i. e. talibus Catarrhis, ut illi in varia loca incumbant, *Catarrhalis Febris* evenire.

LXIV.

Neque vero in hoc ſimpliciter ſubſiſtit *Hippocrates*; ſed dum etiam ἐρυσιπελάτων explicitè mentionem facit, exhibet veluti ipſam clavem, pro inſpiciendâ propiùs febrium harum indole, portam ipſam recludentem. Sicut enim etiam rotundis verbis, Φλεγμονὴν καὶ Φλογμὸν in hac ipſa narrationis ſerie, plus una vice nominat & arguit, & καύματος etiam mentionem facit: Ita etiam latioris *inflammatoriæ* conſtitutionis præſentiam exprimit *Eryſipela*των voce. Et iterum quidem *plurali* ſignificatu, quod non unum ſolùm horum affectuum, uno ſimplici loco, Eryſipelacea inflammatio, aut uno etiam eodemque ſimplici modo atque motu, ſequatur aut comitetur: quamvis uno propiùs utique quam altero, ἔξω conver-

vertatur. Quantumlibet enim etiam ſtatim vocabulum περιπνευμονίαι plurali numero ponat; (quamvis etiam hujus affectus, & diverſa *ſedes* per latera & lobos pulmonum, & diverſa *magnitudo inflamationis*, pluralem ſignificatum tueri poſſent:) Eſt tamen omninò certum, quod præmonuimus, quod, ſi maximè *Hippocrates* etiam illa de *Febribus* & *Eryſipelatibus*, magis indifferente uſu loquendi, quam directa intentione ita dixiſſet, tamen ſecundùm rerum ipſarum veritatem, ita ut omninò ſonant ſignificare, & proinde etiam ſumi, poſſint.

LXV.

Eſt nempè omnino ita conſtitutum verum negotium *Catarrhalium Febrium*, quod *illis* demum Catarrhis accidant, qui *ſimplicitatem* mucidæ ſtaſeos, implicatione ſubtiliore ſubſtantiæ *tenuioris*, (noſtra ſententia etiam ſimpliciter cruentæ, aliorum & antiquiorum autem opinione *bilioſæ*,) *inflammatoriam* indolem in his *locis* atque partibus involvunt, in quibus non ſolùm ipſa repentina *corruptio* ſincera, damna gravia inferre poſſit; ſed imprimis etiam ipſe *actus* talis corruptionis, donec ad exitum ſui pervenit, ſub *tranſitu*, & ipſo etiam reliquo, *contactu*, partim *humoribus*, partim *vaſis*, & *conſpirantibus partibus*, eximia damna affricare.

LXVI.

Minime autem fruſtra hoc monemus, & conſiderari etiam volumus. Eſt enim exemplum, hodiè quidem nimio quàm expediat notius, affectuum, in has easdem *partes* ingruentium, & illas graviter *urentium, rodentium, ulcerantium* imò *abſumentium*: Citrà tamen vel *Catarrhalem Febrem*, vel ullam *acutam* periculoſam conſtitutionem. Loquor, non ſolum de *Venereis, narium & infundibuli, pharyngis, tonſillarum, totius palati* & oris interni, quin *Parotidum* etiam ſubinde affectibus: Sed etiam, per temerarias Empiricorum tractationes ne quidem ab ipſo Mercur. ſublimato ſincero abſtinendo; inductis corroſionibus; Verum enim verò, cum utique *lentor* ille ſincerius *mucidus Venerearum* talium in his partibus affe-

ſectionum, non ſolùm in ſe ſimpliciter comparari non poſſit, cum *ſubtili ſanguineo-ſalivali* miſcela *floridiore, infarctu* magis & coacervatione ſeu *repentina* congeſtione, quam ſegni illa inerti, juxta aliquos obſtructoria, ſtaſi, partes tales occupante. Et à poſteriori etiam, *acriter & ſubtiliter inflammatoria, malignè ulceroſa*, & ad *ſphaceloſas* corruptelas præcipites propendens, horum, τȣτέων, ita comparatorum, *ῥευμάτων Hippocraticorum* indoles, vel ipſo facto ſatis prodat immanem diverſitatem *periculi*, ad *ſegnes* illas *Venereas*, & *craſſas*, conferendo: Putamus facilè hinc poſſe colligi, quod etiam ſimplex *Eryſipelatodes*, collectio in hujusmodi *partes* incidens, uti ſummum periculum minitetur, & *Febrem* etiam, ſatis præſentaneam & *activam*, evocare poſſit.

LXVII.

Illud brevibus tradere placet, quid ſecundum *Pyretologiam* D. D. Præſidis, de *Connexione* Febrilis *commotionis*, cum hujusmodi *periculoſis inflammatoriis* affectibus, jam circà *intimiores* partes graſſantibus, intelligendum eſſe videatur. Ante omnia dari nobis poſtulamus, I. quod infarctus hujusmodi materiæ *inflammationem* parientis, *ardorem, ulcerationem*, partim *præſtantis* partim *minantis*, non poſſit *auferri*, niſi *motu humorum*, qui ſucceſſiva *abſterſione*, ſenſim iterum auferat, quod ita coacervatum hæret: aut ſanè *periculoſiores* ejus portiones, *ſubtiliores, auxiliores* & *activiores*, præ reliquis inertioribus. II. Hunc effectum, tanquam utique *extraordinarium* planè, *ordinario gradu* circuitus humorum, abſolvi non poſſe, confidimus pariter neminem fore, qui nobis ſerio contradicere ſuſcipiat. Neque vero etiam III. ſimpliciter repentinis inſultibus, *brevi ſucceſſu* hoc ita abſolvi poſſe, ut paucis horis, *infallibiliter, diſturbari* ſolùm, valeat dicta talis collectio; tàm facile putamus etiam *ætiologicè* aſſecuturum eſſe quemlibet conſideratum Theoreticum, quàm à poſteriori *practicè*, utique verum

conſtanter deprehenditur. Tantò minus autem IV. convenerit univerſalis *importuna exagitatio* humorum; cum non ſolùm effectum, ſecundùm materiæ receptivitatem, *citatiſſimum* exſequi non liceat: Sed etiam læſio, cui, pro ratâ ſubvenire debeat hæc commotio, in *privatiore* loco ſolùm, atque parte corporis, exiſtat, *mole* parvà, *dignitate* & *connexione* verò ſingulari: quo proinde utroque intuitu, vehemens humorum *raptatio* & exagitatio, ſimpliciter ſupervacua, & à reſpectu ad has res aliena, eſſet. V. Nec tamen etiam hæc ipſa, per *Febrilem moderatum*, proportionatum motum, *diſcutiendi* methodus, præſertim pro variâ ratione *quantitatis* & qualitatis materiæ, & *loci* diverſi, pariter & ubiquè æqualiter abſolvi poſſit, ſecundùm generaliorem quendam typum atque commenſurationem temporis: Multò minùs VI. reſolutæ ita, à primo ſuo loco, materiæ morbidæ *translatio* in alium locum, & ibi *denuò ſincerè facta depoſitio*, & quidem iterum ſecundùm tales *ſtrictas* menſuras temporis, *criticas*, vel *poſſit* veriſimiliter ita ferri atque agi, vel *debeat* probabiliter ita tractari, cujuscunque *melioris eventus* ſpe.

LXIIX.

Licet enim illud quidem facilè comprehendi poſſit, quod omninò præſtet, materiam talem in *exteriore* potiùs aliquo loco conſtitui, v. g. *parotidibus*, aut *Cutaneo Eryſipelate*: Tamen ſi res non ita ad rudem ſenſum æſtimetur, generali tantùm conſideratione, ſed potiusconſideretur, ſecundùm *ordinem* & methodum *fiendi*, quomodo ita ſuccedere poſſet aut deberet: fit ſanè negotium totum tanquàm ſimpliciter improbabile. Proceſſus enim eſt talis: *primò diſſolvenda* eſt materia, ex illo *loco*, quem jam occupat, *interiore*; *ſecundò*, ex eodem *auferenda*: *tertiò*, non ſolùm aliò *diſtrahenda*, &, *disſipatis* ita potiùs viribus longè lateque, *ejicienda*: Sed, ſecundùm hanc hypotheſin, *quartò*, denuò iterum in *arctiorem* quendam *locum*, imò, *aditu* præſertim, ſpecialiſſimè *arctiſſimum*,

v. g. *parotidem* unam, ſtrictiſſimè *colligenda*. Hic certè, quantumlibet, (neque quidem nuda uſitata generaliſſimâ loquendi formula, ſed certè ſano ſenſu,) recipere minime aſpernemur aſſertum illud practicum, quod *natura ſibi vias invenire*, non ſolum *poſſit*, ſed & reverà, exemplis non obſcuris, hîc illîc omninò *ſoleat*: Tamen tam *promiſcuè* non ſolùm id ipſum fieri, ſed etiam *meliùs & faciliùs* non fieri *poſſe*, nedum *unicè ſic, & non aliter*, fieri *debere*, ab omni certe non *ratione* ſolùm alienum eſt, ſed ipſa utique etiam *Experientia*. Sicut enim experientia, certè non ſolùm *numeroſiſſimis*, ſed etiam in hac materia *plerisque omnibus*, exemplis docet, quod multarum *inflammatoriarum Febrium*, æquè craſſiori, quam *Rhevmaticæ* inflammationi innitentium *ſalutaris* fiat talis *diſſolutio*, *diſcuſſio*, & inſenſilis *eliminatio*, ut neque *temporis critici* ſimpliciter, neque *eccriſεων*, loco & modo *ſimpliciter criticarum*, vola aut veſtigium appareat: Ita dictat omninò rationalis conceptus, de *modo fiendi & agendi*, in hoc negotio, quod non ſolùm *inutilis* foret hujusmodi ſingularitas, ſed etiam *factu* plerisque vix credibilis. Dum enim *reſolutio* è primâ collectione & infarctu, non niſi *ſucceſſibus* fit, tot dierum decurſu; *credulitate* certe, imò *fictione*, opus erit ad concipiendum, quod hujusmodi materia, ita *ſucceſſivè* ex illo infarctu *diſtracta*, non ſolum ſub illo infarctu, aut poſtquam inde paulatim diſtracta eſt, tamen *toto hoc tempore*, ita parum aut *nihil alteretur*, ut ad *novum ſimilem infarctum* demum formandum ita perpetuò par & idonea maneat: Sed etiam tamdiu in maſſa humorum *conſervetur*, donec tandem, *uno impetu*, è tota maſsâ iterum ad *unum ſpecialiſſimum* locum *dirigatur & adigatur*: Neque verò idonea eſſe poſſit, ut dum *ſucceſſivè reſoluta*, detrahitur à prima ſua ſede, etiam pari ſucceſſu per *urinam*, *ſudorem*, *alvum*, imò *tranſpirationem*, *ſucceſſivè* eliminetur; cum tamen & *Eryſipelas* paucis diebus, & *Parotides rhevmaticæ* etiam pluribus, non niſi talibus modis, ſive *generalibus*, ſive

 in-

inſenſibilibus, paſſim exeant atque conſumantur: Quod uti de *Eryſipelate* certum eſt, & verè etiam *unicum* quod illi recte conveniat; ita de *parotidibus* talibus, experientiæ practicæ adeò conforme, ut reverà vanæ ſpeculationi ἀπεράκτῳ potius innitatur, hujus cenſus parotides, *promiſcuè*; nedum *ſimpliciter*, *maturationi* deſtinare.

LXIX.

Sicut autem ex hac rerum harum ſerie, ſatis eluceſcit, quo intuitu non ſolùm *Febris Catarrhis*, *ſupervenire* poſſit atque ſoleat; ſed *qualibus* etiam maximè *Catarrhis*, in *qualibus partibus* ſedem ſuam adeptis: ita eſt omnino tantò evidentior ipſius jam *Hippocratis* de his rebus, non *opinio* forte, ſed nuda *obſervatio* & *hiſtoricè* PROGNOSTICA commemoratio, quod à tali, qualem ille *acrem atque cauſticam* eſſe interpretatur, fluxione, *in pharyngem* præcipuè, oriantur raucedines; aut *auctiore* energia, *Cynanches*: *auctiore & diffuſiore*, *Eryſipelata*, *diffuſiore & profundiore*, *Peripnevmoniæ*: quamdiu illa materia in illa *intemperie* exiſtat, *perſiſtant* tanquam obfirmata: Quando verò *demum* ſpiſſeſcant & concoquantur, *tunc demum* etiam iſta etiam minuantur: Et *tunc dumùm* ſolvantur *Febres*: Quales autem *Febres*? niſi illæ, quæ, quamdiu τὰ νυσήματα ἔῤῥωται, *quamdiu hi affectus firmi perſiſtebant* & in gradu ſuo perſeverabant, hos comitabantur & ſtipabant.

LXX.

Hic certè animum adhibere jubemus, (ſiſtam autem orbi literato rem totam proximo, bono cum Deo, tempore luculentiùs, ego Præſes,) omnes ſanæ rationis compotes, quâ *ratione*, quâ *doctrinâ*, quâ *autoritate*, qua *Experientia* freti, loqui poſſint illi, qui non ſolùm *Febrem Catarrhalem*, ſed planè inſuper *malignam*, arguunt, ibi ubi neque *tuſſis*, neque *gravedo*, neque *raucedo*, neque *Penipnevmonia*, nec *Eryſipelaceum* quicquam *manifeſtum*, nec *ante Febrem*, nec *durante tota Febre*, comparuit aut præſtò fuit: Sed etiam *ſub-*

ſubeſſe potuiſſe, nedum debuiſſe propriè negatur. τὰ κύναγχικὰ verò [NB. quæ nempè Hippocrates hoc loco manifeſtiſſimè non pro actuali Angina formaliter, ſed pro ipſis ῥεύμασι altero loco dictis uſurpat] non ſolùm præſtò fuerunt, ſed etiam ſimpliciſſimè ἀσήμως reſoluta, IMMEDIATE, non ſolùm *immanem cephalalgiam* poſt ſe traxerunt: quod ipſum pernicioſum eſſe Hippocrates prædicit: ſed etiam ab illo ipſo die increbeſcentem, *Febrilem laſſitudinem*, *languorem*, *calorem*, *inquietudinem*, *ſomni* juſti impotentiam, & hæc omnia ita *augeſcentia*, ut, *intempeſtiva exagitatione*, non ſolùm *internarum inflammationum* manifeſta ſymptomata, ſed cum etiam, enervatis imprimis viribus, harum nulla reſolutio ſequeretur, *mors nono die*, ſubſecuta ſit.

LXXI.

Ut autem etiam de illa circumſtantia dicamus, qualis propriè indolis haberi poſſit *inflammatio* illa, quæ hujus indolis *fluxiones* ſequitur, manifeſtum utique eſt harum rerum vel leviter intelligentibus, & revera quidem magis *practicè*, ſecundum ſinceram *experientiam*, quàm nudam qualemcunque *opinionem* theoreticam, quod *inflammatio* partibus alias parum *ſanguiferis* obtingens, uti minimè, per ſe & ſua ſpontè eſt ἀποςεματώδες καὶ πυώδες, *ſuppuratoria*, ſed magis ἑλκώδες, *ichoroſo - ſanioſa ulceroſa*: ita quantò minus *ſanguineæ* admixtionis involvit, tantò minus etiam ad acrem effectum *ulceroſum* tendat aut propendeat, ſed potius *diſcuſſione* iterum reſolvendá veniat: *Ulceratio* vero ejus ſi obtingat, multis modis utique ſit *deterior*, quam ſimplex *ſuppuratio*: imò ita *maligna*, ut facile in *corruptionem* etiam putridam *ſphaceloſam* ruat.

LXXII.

Verum hujus rei exemplar, eſt in *Eryſipelate*; æque ac *latè* diffuſis *phlegmonibus* ad *ſuppurationem* refractariis.

E 3 Sicut

Sicut enim hæc talia, niſi *diſcuſſione* decente iterum decedant, ſi ad *ulceroſam* corruptionem perveniunt, ulcera formant non *mali* ſolum, ſed ad leves quaslibet occaſionales perverſiones, etiam *peſſimi moris*: Et hoc quidem etiam in partibus *externis*, ubi ſubſidiis immediatè applicandis eſt aditus: Ita ſi talia in *interioribus* gignantur, & ad *placidam*, *proportionatam*, *tranquillam* reſolutionem atque *diſcuſſionem* non pertingant, tunc eſt utique præſtò, non μοϱμόλυκ@ aliqua, & quando patientes interierunt, propterea *ſimpliciter prætexenda*, *Malignitas*: Sed *vera* utique, & ut non difficilis factu, ita nihil difficilior conceptu *pernicies*.

LXXIII.

Eſt inquam *Inflammatoria* illa conſtitutio fluxionum talium, ἁλμυϱίας, καύματ@, δϱιμίας, φλογμȣ̃, ἑλκώσεως, compotum; quas illæ *pharyngi*, *collo*, *pectori*, *pulmonibus*, (juxtà utrumque locum *Hippocratis*) inferendo, & ita τὰ κυναχγικὰ, *Eryſipelata*, *Peripnevmoniam*, formando, *Febres* comites ſuſcitant & adſciſcunt, non alia niſi *Eryſipelatodes*; Minimè *propia* ſua indole, nec etiam unquam fere *ſecurè*, nedum *utiliter circa interiora* πυώδες ϗ ἀποςηματώδες. Interim à triviali utique *Eryſipelate externo*, (quod magis in *latum* diffuſum, & *ſuperficiem* usque corporis attingens, faciliùs, niſi quidem *extrinſecùs* depravetur, diſſolvitur,) in eo diverſum, quod non ſolum in interioribus ejusmodi partibus *arctioribus*, compactiùs *denſatum* hærere poſſit: Sed etiam *teneriorum* talium partium ſenſibiliore, ardente acri irritatione, *affluxui* propemodum magis ſtimulum addat, adeoque diuturniori *detentioni*, quàm facili, quacunque tandem methodo atque via, *diſcuſſioni*; Imprimis, ſi loco *placidæ*, *aſſiduæ*, *æqualis*, abſterſoriæ alluvionis, turgida & contentioſa potius *exagitatio* ſanguinis excitetur, ſive *ſpontaneis* erroribus ab individuali turbulentia, ſive *medicationibus* aut *regiminibus* importunis.

LXXIV.

Hæ tales circumſtantiæ, quandocunque evidentiùs concurrunt, ut *experientiâ* certos tunc exhibent funeſtos eventus; Ita nulla ibi cerebrina *innominata*, & ſimpliciter ἀπὸ μηχανῆς, verè ita *mechanica*, MALIGNITAS inclamanda venit; ſed eſt utique *manifeſta*, & prorſus evidens magis in ipſis ſuis realibus *cauſis & energiis directis* ſpecialiſſimis, eorumque ordine, ſucceſſu & eventu luculento, quam ullis *generalibus* & magis abſtractis ideis, de *malignitate* generaliùs ſumpta.

LXXV.

Sicut autem ita τὰ κυναγχικὰ ῥεύματα Hippocratis, juxta ſimpliciſſimas has iteratas ejus commemorationes, ſunt illud, quod, diffuſioribus malis conſecutionibus, *Maligni* etiam ſucceſſus *Febres* exſuſcitat & ſibi ſociat; ita, ab humana utique ratione, nemo expectabit dubitationem, an *talia*, hujus inquam effectus poſt ſe trahendi potentia, *rhevmata*, κυναγχικὰ, ſint *Febris ſymptomata*, aut planè *producta* CRITICA? Interim, niſi res ipſa monſtraret, vix credi poſſet aut in mentem venire, quomodo etiam in tali τάραξι ſolvendâ, impingi poſſit.

LXXVI.

Cum enim *Febris*, his rebus ſimpliciter *ſymptomaticè* ACCEDAT; & ſit non ſolum POST illas ſed etiam PER & PROPTER illas; Nemini ſane primarum acceptionum medicarum recte perito atque memori, in mentem venire poterit, talem ullo intuitu aut acceptione, *ſymptomatis Febrilis* loco habere. Sicut autem hoc ab humana ſimpliciter ratione abeſſe debet, ita ab omni *Medica* acceptione abeſt quærere, nedū dicere, quod τὰ κυναγχικὰ cujuscunque tandem gradus, ſint *abſceſſus Critici*. Sicut enim *Criticum*, vel tyronibus notum eſt ſimpliciter accipi pro *ſalutari*; ita in ulla *Febre*, ſaltem *non periculosè*, nedum *utiliter*, quidquam ad ipſas *fauces abſcedere* poſſe aut ſolere, à nemine medico ne dubitando quidem, nedum affirmando, allegabitur.

LXXVII.

Interim, uti vox *ſymptomatici*, in materia *Febrium*, (extrà cenſum *eſſentialiter* conſequentium ſeu *propriorum ſymptomatum* Febrilium,) nunquam, niſi pro re *noxia* magis ad reliquam Febrem, quam ſolùm *inutili*, uſurpari ſoleat; *accidentia* verò *faucium* in Febribus, præſertim *malignis* judicatis, certò vero *acutis* & *mortiferis*, à nemine Praxeos perito pro re *levi* & *nullius momenti* habitum iri credamus: Eſt certe proinde altioris indaginis, quàm nudæ elocutionis, tales res, ita contrà omnem acceptionem verborum & indolem rerum pugnantes, temerè pronuntiare.

LXXVIII.

Aliter certe Divus *Senex*, & alii ante ipſum, & poſt ipſum omnes, veri *Practici*; imò ipſa rerum *Natura*: Aſſerentes nimirum illi, ſeu potius recenſentes ſimpliciter rem manifeſtam, hæc autem etiam indies exempla plura quam optent mortales, imò quam vel optent ſibi indolis hujus periti *Practici*, ſiſtens: quod *Rhevmata ad fauces*, & imprimis non *languidè*, ſed ſatis *citò*, & νεανικῶς confluentia, conſtitutionibus anni *temporum*, *tempeſtatum*, imò plane *epidemicarum* frequentiarum, concurrentibus, imò proprie *concitantibus*, facta: quæ *diſtributa* ibi potius, quam ulla juſta veriſimilitudine *diſcuſſa*, *immediatas capitis gravitates*, *graves perturbationes*, *acres dolores*, *totius languores*, *appetitus & quietis everſiones*, imò *Febres acutas*, imprimis *ex ſuppoſito*, ſine probabili, (præter forte ſuſpicionem *à diæta*,) qualicunque errore, *acutum lethalem* exitum ſortitas, & hæc omnia IMMEDIATIS SUCCESSIBUS, & *nihil* usquam *interrupta ſerie* illis veſtigia legentes, poſt ſe trahentia, iſtorum potius omnium veri architecti atque fabri ſint, & hæc omnia *Rhevmatum* illorum vera *ſymptomata*, *ſucceſſus*, & *effectus*, exiſtant: neque ſolùm ita hæc Febris & malignitatis ſymptomata, directè ab illis *Rhevmatibus* dependeant, ſed omninò graviſſimi ſucceſſus ſortiendi compotem indolem, in ſpecie autem *inflammatoriam*, ab iſtis ipſis ſortiantur.

LXXIX.

LXXIX.

Adeo vero ſimpliciter verum hoc & abſolute certum eſt, ut etiam è talibus conſtitutionibus ſolis, verè *Catarrhales periculoſiores*, & propter *tenuitatem* atque ferè *paucitatem* materiæ *indolem* interim periculosè *inflammatorio-Gangrænodem*, propriè MALIGNARUM nomine, MANIFESTARIIS, non imaginariis & innominatis de *cauſis*, ſecundùm veritatem, venire debeant, utique vero & ipſo effectu tales ſeſe exhibeant. Dum illæ, quæ *ſpiſſioris* materiæ *mucido-ſeroſæ* non ſolùm *copiam*, ſed etiam facilem *exitum* ſecum ferunt, cum *tuſſi* & *ſcreatu* humido, qualitercunque, præſertim autem feliciùs ſuccedente, *malignarum* nomen non aliàs unquam mereantur, quàm ſi malâ tractatione, præter omnem ſuam *propriam* culpam, in transverſum actæ, funeſtos, aut ad minimum difficiles, exitus ſortiuntur.

LXXX.

Quæ enim *Rhevmatibus*, in *habitum* corporis *extrorſum* congeſtis, locum hunc ſuum omnino tuentibus, accedunt febriles comotiones, imprimis cum ipſo calore *rhevmatico*, non verè *inflammatorio*, tanquam qualicunque conſenſu & provocatione connexæ, neque ſunt, *ordinariè* & *per eſſentiam* ſuam, conſideratu digni gradus ſeu *impetus*, nec habent, ut tales, ullum *directum* periculum: niſi materia per infauſtum *accidens*, ad interiora repeliatur. Quod verò ſi contingit, ſunt certè deinde tales Febres, uti manifeſtæ *inflammationis internæ* gravis & importunæ, variis ſignis luculentis, compotes, ita difficillimorum omninò ſucceſſuum: Certiſſime v. omnium, quando temeraria methodo impetuoſam *impulſionem* magis, quam concepta jam ulceroſæ acrimoniæ *corrigendæ* ſcopum reſpiciente, penitius pervertuntur. Sicut autem nemo dubitat, quod hujusmodi *Rhevmaticæ* reſtagnationes, imprimis quantò acrius contendunt infarctu ſui, etiam in *exterioribus* partibus *Eryſipelatis* indoli re ipſa vera omnium proxime accedant: Ita fugit etiam neminem, quantò majus ſit

F peri-

periculum, ſi talia Rhevmata quam plurimum *Eryſipelatodea*, *retroceſſiones* tales nacta, *inflammationes internas*, & hinc Febres morbo pares, nempe *acutas, poſt ſe*, ſeu potius *ſecum*, trahant.

LXXXI.

Adeò jam, ut res hæc ſatis dilucidè demonſtraretur, in quam præter omnem ſpem etiam ita impingi, publicè propoſita documenta loquuntur, prolixè excrevit deductio, ut ulteriorem prolixitatem meritò fugiamus; unde ne quidem ipſam *practicam* tractationem, aliter, quam ſimpliciter *practicè*, nempe magis *ponendo quid conveniat fieri*, quàm denuò ad *rationes* jam allatas referendo, memorabimus. Meritò autem inſiſtendum putamus illi methodo, quam imprimis D.D. Præſes, & ſuevit circà tradendam *Praxin* adhibere, & verò quàm maximè adhibendam ſeriò exiſtimat; Ut nempè, ante omnia, quid è perverſis moribus *cavendum* ſit, præmoneatur: Deinde verò quid agendum veniat, decernatur. CAVENDUM itaque aſſeveramus, ne ulla vehemente *commotione evacuatoriâ*, temerè exagitetur morbus *primarius*; *ſtagnatio*, inquam, materiæ *ſubtilis* & *acris*, neque craſſa ulla, neque vehemente, *concuſſione* aut *exagitatione* mobilis: Utrâque tali verò promptiſſimè in deterius conjicienda. Quod eò magis caveatur in *progreſſu* jam morbi *ſecundarii*, *Febris* inquam. Quæ, licet verè *critica* non ſit facilè, nedum ſolenniter, eſt tamen utique *periodica*, & *acuti* exitus: Servans, inquam, *indicatoriorum* (*coctionis ſecretoriæ*,) & *ſeptenariorum* dimenſiones. Secùs ſi fiat, ab *internis*, *rudibus*, aut diuturnæ *contumaciæ* in *operando*, concuſſionibus aut ſtimulationibus, majorem ad intimiora *regurgitationem*, *Eryſipelaceas inflammationes internas*, *parvas*, ſed eo *maligniores*, imò *irreſolubiles*, prædicimus. (Uti *Baglivus* à ſimplicibus *exagitationibus intempeſtivis*, per *alexipharmaco-ſudorifica*, in *malignis epidemicis*, *mortes* annotavit, ubi nihil niſi *parvæ inflammatoriæ* quaſi maculæ in intimioribus, neque copioſæ etiam, obſervari poterant:) Cum *anxietatibus immutabilibus*, & *virium lapſu* uti

re-

repentino, ita *inconſolabili*: & ita quidem, ut hæc etiam, præter alia *effatu digna*, imò vel *ſenſibilia* ſolùm ſymptomata, ad *mortem* ſuffectura ſint.

LXXXII.

Suademus autem *poſitivè*, ut ante omnia *commotio* humorum inteſtina, & ab illa pullulans *ulceroſa acrimonia*, præoccupetur & mitigetur; ſucceſſivæ *lenes evacuationes*, *diureticæ* benigniſſimæ, & *diapnoicæ* magis, quam à *regimine* ſudoriferæ, modeſtè juventur: Quod feliciter obtinetur *abſorbentibus*, ad *abſterſorio-diureticam* indolem deductis, tenerrimis; & verè *diaphoreticis* ex *Antimonio*, ſine inutili pompâ aut nominum faſtu: Efficaciſſimè vero per maritationem cum talibus, atque ſubordinationem dextram, NITRI. Cujus certe Salis, ſed utique *peritè* uſurpati, in *Rhevmaticis retroceſſionibus* tempeſtivè adhibiti, tanta eſt *efficacia*, ut illo etiam *ſolo*; graviora ab illis damna, juvante Deo, reſtingui poſſint: Ut de *tenuium acrium Catarrhalium* materiarum *incraſſatione*, (non ruſticâ illa glutinoſa, imperitæ ſpeculationis, ſed &) *mobili*, & *motum exſcreatorium*, *gravedinoſum*, *diureticum*, actu proſequente, non plus dicamus, quam quantum ſolertibus, & ad dextrè exercendam Praxin à Divina gratiâ natis & formatis, moniti loco eſſe poſſit, cujus, pro ingenuo & honeſto animo, certe nunquam ingrati recordaturi ſint. A ſimpliciter *poſitivè diaphoreticis*, æque ac *alexipharmacis* (abſurde certè hic cuicunque putatitiæ *abſolutæ*, & quod ajunt, *venenatæ*, *malignitati* opponendis, quæ ſimpliciſſime ſubtiliter *inflammatoria*, ſolius tenuis *acredinis* concipiendæ, & *ſphaceloſæ* corruptionis incurrendæ habilitate, ſatis certò *lethaliter malè morata* ſit, & in his energiis *corrigi*, *ſubigi*, & à partibus quas obſidet modeſtè *exigi*, ſatis obſtinatè expectet) ita temperandum, ne quidquam hic nudo repentino *impetu* agitetur: Sed unicè *aſſiduis* magis, *moderatis*, & ab ipſa Natura placidè acceptatis, *tranſpirationis* augmentis inſiſtatur. Ut adeò, internè quidem, materiæ, per ſe non fa-

faciſè aut promptè ſpiſſeſcentis, (unde *expectare* jubet Hippocrates,) tenuior acrior ſubſtantia, ſucceſſivè exhalando *diſſipetur*, adeoque quod impetu fieri non poteſt, ſucceſſibus peragatur. Cui etiam rei, in *tenerioribus* ætatibus præſertim manifeſta efficaciâ, non parum inſerviunt *aquæ diapnoicæ*, *Scabioſ. Scord. Card. Bened. Plantag.* &c. abſtinendo ab Aq. *Fumariæ. Succinatorum* uſus, in vera Febre *acuta* tali, nedum *Saſſafras*, aut aliorum *lignorum*, nobis autoribus nemini ſuadebitur, ſimplicioribus magis Catarrhis inſerviturus. *Salia Volatilia* vitare, in *ſenſibilioribus* autem, teneris etiam abominari ſeſe profitetur Excell. D. D. Præſes, & edoctum hoc aſſerit obſervationibus, in vere dubiis rebus perpetui manifeſtò pejoris, etiam per manifeſtos ſucceſſus, effectus. ALVUM *irritare*, quantò *acrior* eſt fluxio, tantò minus *ſecurum* eſt; *apertam* autem ſervare, magis *neceſſarium*, quàm ſolùm *utile*: In *minus acribus* autem *Fluxionibus* his & *Febribus*, & imprimis ubi *affluxus* notabilis incommodus eſt (*gravedinoſa* atque *bechica* affluentiâ,) ibi *prædiſpoſitam* ad juſtam mobilitatem materiam, etiam leni *laxatione* ſubducere, tempore & modo prudenter æſtimatis, egregie conducit: In *acriore* autem affectu & *Febre*, ἀπέχειν. Tandem non indulgeat *ſecuritati* patiens, ſi maxime Febris *miteſcat*, ſed adſueſcat aeri cum circumſpectione.

TANTUM!

SOLI DEO GLORIA.